

*suendas ocreas post visam Romam rediit, quasi suptorem et scortatorem agere esset æque licitum atque honestum. Herodias illa pellex quam tenaciter adhæsit Herodi mariti sui fratri! Joanni, qui eam Herodi avellere conabatur, caput abstulit; sicut ursus, dum carnem edit, irruit in eum, qui eam vult auferre. Quin et Herodem a C. Cæsare expulsus Lugdunum Galliarum in exilium contra voluntatem Cæsaris comitata est, et bonis suis, fratri Agrippinæ a Cæsare adjudicatis, spoliari maluit, quam Herode suo, Joseph. lib. XVIII. capite IX. similis onagræ, quæ ubi semel naribus hausit odorem masculi, ita perdit eum sequitur, ut nulla ratione retineri, quin ipsum pleno cursu insequatur, possit, teste Jerem. c. II. *Attraxit ventum amoris sui; nemo avertet eam.**

V. Ductus est in urbem Gazam munitam, ubi prius adamarat mulierem meretricem, Judic. XVI. Sic nimirum libidinosi captivi ducuntur ab amasiis ad illarum domos, ut eis serviant. Gaza, *fortis* aut *capra* exponitur. Ducitur ergo libidinosus a dæmone ad capram, id est, ad fetentem meretricem: illam sequitur et quærit. De muliere impudica refert Salomon, Prov. VII. *Irrerit cum (juvenem) multis sermonibus, et blanditiis labiorum prolixavit illum. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lascivens et ignorans quod ad vincula trahatur.* Mactat certe libido tales juvenes corpore et animo; et tamen ipsi eam sequuntur ab macellum suum: quæ cæcitas! Congruit huic loco, quod Diogenes de luctatore quodam Olympionice, oculos in scortum desigente, adeo ut prætergressum capite reflexo, intueretur, dixit: *Ecce ut aries Martius a puella publica obtorto collo vincitus abducitur!* Laert. l. VI. Quod (proh dolor!) juvenes hoc modo vincti adducuntur! Alius capillo, alius oculis, alius dentibus, alius sermone, alius calcæis alterius inspectis ita capitur, ut oculos ab iis avertere nequeat, eaque pene adoret, unicam suam voluptatem in iis sitam reputans. Quale et quam fœdum spectaculum foret, si videremus nobilem juvenem a puella, vel puellam nobilem a juvene per longam funem alligatam trahi, et passim per compita urbis circumduci! At vero ita revera trahuntur amatores et amasiæ, licet fune invisibili.

VI. In Gaza inclusus in carcerem, coactus est molam trahere et gyrare instar jumenti: ubi absque dubio scuticis aut stimulis impulsus ad laborem fuit, juxta morem receptum, ut scribit Apuleius, apud Serarium, in caput XVI. Judith, adeoque dorso livido et verberibus lacerato. *O mnis plangende vir et flos virum!* exclamat de ipso Abulensis episcopus. Ita libidinosi primo, gravi labore corporis oneranturumvar

de ortis premuntur, ut scabie gallica, defluvio pilorum et palpebrarum, paralyti aliisque.

Secundo, animo prorsus dementantur et in bruta degenerant, ut jam nihil sapiat, nisi caro et spurcitia. Nulla in iis ratio, nullus discursus aut colloquium, quod non hircum oleat, et fœtore aliquo conditum sit. Unde aliqui sancti, uti Sancta Birgitta et sancta Catharina Sennen. fœtorem libidinosorum etiam naribus mox senterunt et ferre non potuerunt. Hinc in sacris litteris comparantur equis et mulis, Tobia VI. Quidam sanctus in vitis pp. libro VI. comparavit eos porcis, quia ut illi nunquam in cœlum, sed in lutum et terram ad sordes tantum rimandas aspiciunt; ita voluptuosi nihil unquam de Deo aut Deo dignum cogitant. Et quid magis dæmones optant, quam tales inhabitare, eosque sicut porcos illos in mare inferni præcipitare!

Tertio, dæmones retro stimulant, primo, ad repetenda iterumque carnis peccata. Unde evenit, ut hoc saxum Sisyphi perpetus rotent, sintque insatiabiles. Sicut ergo prodigus cupiebat saturari siliquis porcorum, inanibus videlicet leguminum folliculis, et nemo illi dabat; ita illi quærunt satiare libidinem suam vilissimis etiam scortis, et habere nequeunt. Unde *famem patiuntur ut canes, et circumveunt civitatem*, ut ossa projecta rodant, et vix tandem inveniunt; plerumque repulsam patiuntur. Stimulantur deinde ad turpitudinem suam tegendam; timent enim sibi ab ipsis scortis et complicitibus ne prodantur. Unde nihil non moliuntur, ut lateant. Quid non fecit David, ut tegeter lapsus suum! Inebriavit Uriam; misit domum ad uxorem ac remisit; litteras scripsit; prælium sine causa cum hoste instituit, in eoque non Uriam tantum, sed complures alios in hostilem gladium impulit. Stimulantur postremo ad committenda alia et alia peccata, quibus vel tequant suas sordes, uti David vel iis potiantur.

VII. Denique, Samson a Philisthæis varie illusus fuit, dum in eorum convivium ductus, ante eos ludere debuit; ductus per plateas prius, fractus et cæcatus, farinæ polline aspersus, a pueris velut capitalis hostis delusus, forte saltare jussus, etc. ita libidinosi tandem fiunt fabula et ludibrium hominibus. Fama illorum fœtet: vitantur ab honestis: expelluntur sæpe a magistratu. Quod si hic eis non contingat, certe in altero sæculo, nisi pœnituerint, continget. Quibus omnibus consideratis, quis quæso jugum tale in se suscipere velit? Præsertim si expendat, quod æternum illud damnatorum jugum certissime post se trahat? Quare sicut Samson, dum in carcere illo capilli ejus, et cum eis utique resipiscencia et pœnitentia

repullularunt, suam agnoscere et deplorare miseriam cepit, et tandem orare: *Domine Deus, memento mei, et redde mihi meam fortitudinem pristinam, Deus meus*; ita resipiscant illi misere cæcati, et orent sibi restitui pristinam Dei gratiam, qua fuere spoliati. Vel quod longe melius est, fugite, o Christiani, fugite illam Dalilam, id est, *debilitantem* vel *mendicam* (hæc enim significat) Venerem ac libidinem: fugite omnium gravissimum jugum, fœdissimum, vilissimum. Adolescens ille Spartanus, captus ab Antigono et venditus, paruit quidem emptori in omnibus quæ non essent indecora ingenuis; sed vas immundum (matulam) afferre jussus, noluit, addens: *Non serviam.* Insurgente in eum domino: *Senties quid emeris*, inquit, simulque conscenso tecto, se præcipitavit, Plutarchus in apophth. Lacon. Quid vilis libidine? Quid scortum, nisi ejusmodi vas sordidum? Et huic serviet Christianus? Maluit Pelagia illa Antioch. virgo, quam celebrat S. Ambr. l. III. de virg. cum matre et duabus sororibus mergere se in undas, quam prostituere pudicitiam suam. Vos ergo, Christiani, excutite a vobis spurcissimum hoc jugum. Tollite potius suave Christi jugum super vos, et *invenietis requiem animabus vestris.*

CONCIO III.

LIBERALIA SEU PECULIARIA DEI DONA GRATO ANIMO EXCIPIENDA.

Dona Dei agnoscenda. — I. Bona educatio. — II. Opes et honores. — III. Sanguinis nobilitas.

THEMA.

Cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim apostolis. Actor. I.

Philo Judæus, longe disertissimus, in libro quem appellavit *Plantam Noe*, refert fuisse qui dicerent in mundo hoc tam ex omni parte completo ac perfecto unicam rem desiderari: « Vocem scilicet fortem, potentem, harmonicam, quæ lata alis ventorum, vecta curru aeris et nubium, omnes mundi partes suo repletet sono, et quæ neque die neque nocte unquam cessaret tonare laudes gratiarum pro incomparabilibus Dei beneficiis. » Desideratus etiam fuit in numero apostolorum Christi, post ejus ascensionem, unus adhuc apostolus. Sic enim fatetur S. Petrus, Act. I. *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Oportet, inquit, quasi unus adhuc necessario requiratur. Et quis tandem requisitus fuit? *Mathias,*

Hebr. *Mattania* seu *mattha*, hoc est, *domum Dei*, quo nimirum omnes apostoli intelligant, se ad tantam apostolus et episcopatus dignitatem non nisi ex dono Dei assumptos et e multis hominum myriadibus electos esse; ut pro tanto beneficio sint Deo gratiores. Multi etiam alii eximia et specialia dona a Deo acceperunt. Habent opes et honores, corporis firmam valetudinem, generis splendorem; habent quidquid volunt, unica tamen res in ipsis desideratur. Quænam vero illa? Nomen *Mathiæ* ut norint quidquid habent, ex dono Dei se habere, proinde gratos se exhibeant. Quare, ut ea dona melius agnoscant, præclariora quædam explicabimus.

Dies S. Mathiæ hodiernus Carolo V. imp. in amoribus et honore fuit, quia faustus ipsi et felix fuit. Illo enim die natus est; illo Bononiæ imperator coronatus; illo denique ad Ticinum magnificam de Francisco I. Galliarum rege victoriam obtinuit, Auct. Jovio, in Pompeio Columna. Si bene rem expendimus, non absimilia dona et beneficia a Deo multi acceperunt.

I. Qui bonam educationem sortiti sunt, et isti gratulari sibi quasi de præclara victoria possunt. Victoriam appello bonam educationem: hæc enim vincit ac subigit carnem rebellem, et naturam corrigit depravatam, sicut lima ferrum, aut marmor scapellum, vel eos gemmam pretiosam, undique rubigine obductam; homines mutat in angelos, bestias in homines. Referunt Germanorum historia, ap. Maiol. tom. I. canic. col. VII. triennem puerum a lupo in antrum tractum et educatum in lupinam pene naturam transiisse, cum lupis cucurrisset et prædas egisset ac comedisset, tandem captum Henrico Landgravio Hassiæ oblatum fuisse; qui ut erectus ambulare disceret, ligandæ ei manus ad baculum erant: quamquam nec sic ambulare poterat, quia vincula rumperet et ad assuetos saltus cursusque luporum rediret. Tanta est educationis vis. Alius enutritus lacte cervæ, Habis, Curetum rex, apud Just. l. XLIV. currebat instar cervi: alius enutritus lacte scrofæ, volupe erat volutari in cæno. Imo et agnelli lac sugentes capræ, villorum acquirunt asperitatem: et contra hœduli sugentes lac agnorum, induunt villum lanæ instar mollem. Videte jam, quantum Dei beneficium sit a bonis parentibus enutritum et institutum esse. Cogitate, quot animæ bonæ, quot ingenia præclara enutriuntur in tuguriis rusticis, velut in carcere aut cavea, ubi nil nisi araneorum telæ et paupertas, nulli libri, nulli artium magistri, sed una de pane sollicitudo et laborum instrumenta. Vident parentes laceros et inopia squalidos, totos in laboribus, fratres et sorores idem saxum volvere; non audiunt nisi la-

crymas et querelas, cernunt rudia omnia : quid Deo vos præstitistis, ut tales non nasceremini? In luguriis a parentibus neglecti, sicut porcelli educæremini? Nonne ergo Deo multo maxime obligamini pro bona educatione et piis parentibus?

Multi etiam malis nati parentibus et pravæ complexionis, ad frugem tamen reduci per bonos instructores (tanta est bonæ educationis vis!) possunt et solent. Quemadmodum enim spina, licet ex se horrida et aspera, nullumque gratum fructum ferat, in pyrum tamen inserta dulcissimos fructus edit : sic homo agrestis licet sit, disciplina tamen formari potest, ut virtutum optimos fructus ferat. « Disciplina enim, inquit Bern. serm. CXIII. cervicem submittit, ponit supercilium, componit vultum, regit oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frænâ gulam, sedat iram, format incesum. » Magnum fuit Dei beneficium, quod scribit Josephus, l. II. c. V. populo Hebræorum collatum, quando ingens ibidem copia proficiscentem per desertum præcessit, ut serpentes, qui iter impedissent et euntes momordissent, interimerent. « Hoc enim animal, inquit, infestissimum est serpentum generi : quapropter fugitant earum insectionem, et inter fugiendum sicut a cervis retracti devorantur. » Serpentes hujusmodi sunt peccandi occasiones, libri obsceni, aleæ, pocula, socii mali, et quicumque venenum pravitatis inspirant juventuti : hos ergo averruncant pii parentes, magistri, pædagogi per bonam institutionem ; qua qui carent, misere, ut experimur, intoxicati pereunt. Hujusmodi ibis fuit Zacharias proph. regi Ozia ; qui, eo quidem vivente, fecit quod erat rectum coram Deo ; illo vero rectore destitutus, cepit inolescere et sacerdotale munus invadere, II. Par. XXVI. talis Joiadas sacerdos regi Joæ ; qui dum illius consiliis se formandum præbuit, et vixit pie et res administravit feliciter ; eo vero per mortem subtracto, sic a seipso degeneravit, ut ex optimo rege, injustus et crudelis evaserit, adeo omnibus odiosus tyrannus, ut a servis fuerit interfectus, IV. Reg. XII. talis etiam ibis Wenceslao VI. imp. et Bohem. reg. Caroli IV. filio fuit Joannes archiepisc. Pragens. cujus consilio et directione, post mortem patris, Wenceslaus stabat adhuc juvenulus ; at ubi bonus ille magister ejus, fatis cessit, aulicorum serpentum subtilis admorsus et adeo eversus est, ut omnium ferme imperatorum turpissimus evaserit, teste Dubrav. l. XXIII. Bohem. hist. aliisque. Diximus alias vicissim alium Wenceslaum, et ipsum Bohem. regem, quia a s. avia Ludmilla sancte institutus fuit, sanctissimum evasisse : contra fratrem ejus Boleslaum, qui e matre Drahomira,

vel ut alii appellant, Dabronuncia, femina gentili, pessime instructus fuit, pessimum evasisse. Vident ergo filii, vident parentes quanti momenti sit bene educari. « Si sollicita providés, inquit, D. Hieron. ad Lætam, ne filia percutiatur a vipera ; cur non eadem cura provideas, ne feriat a malleo universæ terræ, ne bibat de aureo calice Babylonis? »

II. Qui pollent opibus et honoribus. Quæ duo quasi aureæ coronæ sunt, quibus in hoc mundo aliqui condecorantur, et supra alios homines evehuntur, juxta id Psal. VIII. *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Divitiæ et honores instar florum sunt, a quibus aranea venenum, apes mel exsugunt : instar Nili, Ægyptiaci fluminis, sunt, e quibus Ægyptii sanguinem, Hebræi limpidam et dulcem hauriebant aquam : instar vini sunt, quod alios confortat et sanat, alios inebriat et perdit : instar gladii, qui alium defendit, alium occidit. Unde S. Ambrosius, libro VIII. in Lucam ait : *Divitiæ, ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis.* Malis sunt plumæ, quibus evolent in superbiam : bonis, quibus in cælum. Considerate magnum illud discrimen vitæ, quam vixit Adam in paradiso, et quam ejectus in exilio. In paradiso reperit quasi palatium augustissimum omni genere suppellectilis repletum, omni quoque comætu et voluptate ; ita ut absque omni sollicitudine Deo servire, et summam perfectionem adipisci posset : in exilio nihil pene reperit ; sed ligonem ipse apprehendere, agrum colere, vestes sarcire, uxorem et liberos in sudore suo alere coactus, inter eos labores vix respirare, mentemque in Deum attollere poterat. Pauperes sunt quasi Adam positus in exilio, nil nisi paupertatem videntes de suis domiciliis, vident se premi exactionibus, liberis et rerum omnium inopia, quæ impedit, quominus cogitent de Deo, et trahit ad sæculares curas : divites vero, velut Adam constitutus in paradiso, comedunt quod non ipsi sed alii seminarunt ac messuerunt ; elementa, animalia, homines ipsi laborant, eis et suppeditant quidquid non ad necessitatem tantum, sed etiam ad decentiam et delectationem servit. Quis hoc pro summo Dei dono ac beneficio non agnoscat? Magnum Dei beneficium ac donum fuit manna in deserto datum Hebræis absque ullo eorum ; sed nonne pane huic simillimo fruuntur opulenti? Nonne igitur absque sollicitudine possunt servire Deo, ut quibus de victu et amictu jam provisum est?

Accedit quod divitiæ multarum virtutum instrumenta sint ad comparandum cælum. Possunt enim divites imitari Deum ab beneficiendum ac

dandum pronissimum et liberalissimum. Pauperes et mediocres eum quoad hoc imitari desiderio, sed non reipsa possunt : ac divites et facto. Habent in manu quasi lapidem philosophicum, quo omnia in aurum vertant : egentium et angustiatorum animos exhilarent ac foveant : sibi gloriam immortalem apud homines et Deum parent. Olim gemmæ et uniones vocabantur *janitores* et *apparitores*, quod matronis eas gerentibus non difficile quasvis aperire possent januas. Hujusmodi sunt fortunæ vestræ, o divites : quas enim januas vobis non aperiunt? Quos homines vobis non conciliant, imo subjiciunt? Ipsum vobis cælum reserant, teste Domino, Lucæ XI. *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Sesostres rex Ægypti ex fastu et insolentia captivos reges suæ rhedæ junxit, ut ab illis equorum vice traheretur, teste Lucano, libro X. Diod. lib. V. capite IV. Verum his equis ad infernum itur. Divites, si volunt, possunt a pauperibus, qui et ipsi coram Deo reges quidam sunt, non dubia via trahi ad cælum. Quantum hoc beneficium? Certe hoc non possunt pauperes.

Addo quod virtutis actus sæpe gloriosior apparet in divite et honorato viro, quam in paupere et plebeo ; quia difficilius est in honoribus et rerum abundantia non inescari cupiditatibus, quam in contemptu et paupertate : non transgredi cum possis, quam cum non possis. Imago, licet per se pulchra sit, vilior tamen apparet, si vili materia circumdetur : pulchrior si pretiosa, auro vel argento. Non est magnum paupertate contentum vivere, cum natura parum aut nihil tribuit ; humilem in sordido vestitu, temperantem in tenui mensa, moderatum in adversitate esse : at pauperem spiritu esse in maxima rerum abundantia, humilem in splendido ornatu ac comitatu, abstinentem in mille luxus occasionibus, moderatum in prosperis ; id instar miraculi est : *Magnus est, cui præsens felicitas si arrisit non irrisit,* ait Sanctus Bernardus, l. II. ad Eugenium.

Denique, possunt opibus suis redimere peccata sua eorumque penas, dando eleemosynas. Sic enim Daniel Nabuchodonosori : *Consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, e. iniquitates tuas misericordiis pauperum,* Danielis IV. Carolus V. cum post victoriam Ticinensem, ad Franciscum Gallie regem divertens, manus lavaret, et Stamparum ducissam audiret, regi suggerentem, esse jam occasionem Carolum detinendi captivum, donec occupata restituit, annulum cum pretiosissimo adamante excidere sibi permisit, eamque a ducissa sublatum ipsi donavit, ut pestiferam ejus suggestionem hac gemma sopiret, seque e periculo eximeret. Refert Flori-

mundus, de ortu hæc. libro III. capite XIII. Possunt hoc fere modo eleemosynis se liberare a pœnis divites ; non possunt egeni.

His accenseri potest ac jure debet bona corporis valetudo, et ipsa eximium Dei donum, quasi corona ferrea, adeo ut Ecclesiasticus, capite XXXIX. dicat : *Non est census super censum salutis corporis,* inter dona videlicet naturalia ; quasi dicat : Non sunt meliores annui redditus, quantumvis magni, bona valetudine. Unde Gr. sic habetur : *Non sunt divitiæ meliores quam sanitas corporis.* Quemadmodum enim sol superat astra omnia pulchritudine, luce, activitate ; ita sanitas alia naturæ dona. Unde Arabes, teste Crinito, voluptates omnes e valetudine pendere dicebant, non secus ac sublunario omnia pendent ab ipso sole. Quis enim nescit sole absente omnia languere, tabescere, frigere? Clauduntur domus, cessant commercia et itinera, non maturescunt fruges, claudunt se flores, suspendunt cantum aves : quæ omnia tamen cum sole oriente quasi oriuntur et reviviscunt. Unde Malach. IV. dicitur esse *sanitas in pennis solis,* hoc est, in radiis ejus ; quia omnibus rebus dat vigorem et sanitatem. Pari modo sine sanitate impediuntur bona opera ; non sapit etiam oratio ; imo nec mensæ opiparæ, nec fragrantia vina, nec delectant mollia strata, nec conopæa magnifica, nec placent splendide vestes, nec oblectant divitiæ ; quin potius omnia desipiunt et molestiam creant, cum bona autem valetudine omnia dulcescunt. Hac de causa nihil fere aliud alter alteri precamur, quam bene valere, tam per epistolas quam ore tenus. Pyrrhus rex in suis sacrificiis nihil aliud petiisse refertur a Luciano, quam ut bene valeret, utpote cui cætera facillime suppeterent. Albertus quoque Austrius imperator interrogatus, quanam esset jucundissima possessio? *Sanitas,* inquit *cujus thesaurus tam pretiosus est, ut quodvis potius perpeti homo debeat, quam eum sibi eripi sinat,* Beirl. in apophth. christ. Magnum enim honorum operum thesaurum comparare potest sanus, quem æger non potest. Sanus ad cælum pergit in equo sano et forti, æger in claudicante. Et quid melius sibi iter longum facturum optare posset quam equum robustum, qui nec obesus nec macilentus sit? Utrovis enim excedat, male serviet iter agenti. Sanitas hujusmodi equus est, in humorum temperie consistens. Unde quod de Moyse Sanctus Chrysostomus, ser. de se ac de episcopo, ait, omnibus accommodandum : « Corpori frænnum intendit, inquit, ut nec immodice stringendo equum sibi ad ministerium redderet inutilem, neque passus sit supra modum obsessum fieri, ne corpulentior factus,

rursus erigeret sese adversus rationum habenas : sed simul et sanitatis illius et moderatio- nis curam habuit. » Nihil ferme præstare pos- sunt ægri, nisi pati, et hoc etiam ægre : velle enim adjacet, perficere tamen difficile inveniunt, et rari sunt Jobi ac Tobiae. Unde s. pater noster Ignatius dicebat : « Ægrotus vix quidquam boni in aliorum utilitatem facere potest ; multa vero præstat qui corpore valens est, » Ribad. l. V. vi- tæ, c. VIII.

III. Qui sanguinis nobilitate præditi, splendidis orti sunt natalibus. Magnum hoc Dei donum est, quod etiam sacra celebrat Scriptura in Christi progenie ac majoribus, et in summo pontifice v. t. qui non poterat ducere nisi virginem nobilem, Levit. XXI. ut majori auctoritate docere legem et principes posset. Excellentia vero hujus doni potissimum in eo sita est, quod nobilium animis peculiarem quemdam stimulum honoris, adeoque boni honesti comparandi et conservandi, ingene- ret. Quemadmodum enim Phidias, inclutus ille sculptor, teste Aristotele, l. de mundo ad Alexan- drum, Minervæ clypeo suam effigiem tam artifi- ciosè insculpsit, ut ea, nisi confracto clypeo, eximi non posset : ita etiam Deus nobilium san- guini et indoli honoris appetitum adeo impressit, ut, nisi prava educatione corrumpantur et ever- tantur, aut morte frangantur, eripi non possit. Homines plebei trahuntur magis utili ac delectabili bono, quam honesto : inhiant opibus, immergunt se voluptatibus, cum dedecore etiam et infamia. At nobiles non adeo illis bonis lætantur, non sectantur turpes usuras, bestiales ingurgita- tiones ; abhorrent a furtis, mendaciis, perfidia, quia rationem honoris habent, fugiuntque igno- miniam ac contemptum velis remisque, adeo ut, honoris sui tuendi gratia, mille se periculis expe- nant. Nic. Caussin, libro V. symbol. c. LXXVIII. refert apud Thebanos familiam quam- dam Spartanorum fuisse, qui hæreditario quodam jure lanceæ speciem corpori a natura inustam gererent : qua qui carerent, pro spuris et illegi- timis habebantur. Hunc in modum nobiles habent a natura insitum sibi quasi militarem (unde olim milites dicti) honoris stimulum et propensionem ad quærendam tuendamque honestatem, propul- sandam ignominiam. Cum ergo virtus in honestate sit, consequens est, eos ad virtutem consec- tandam, vitium aversandum (quod est maximum dedecus) naturaliter propensos esse : quod pro- fecto eximium pulcherrimumque Dei donum est. Quod enim alii multis adhortationibus, minis et verberibus vix apprehendunt bonum, hoc illi fa- cile et quasi sine magistro, solo quasi naturæ instinctu capiunt et sectantur. Præclarum quid...

Dei donum est ingenium excellens ; verum servit solum ad scientias comparandas ; earumque ca- pax quidem est, sed non inclinatur hominem ad eas comparandas. At sanguinis nobilitas ad virtutem (quæ superat scientias, uti aurum præstat ar- gento) capessendam non solum reddit capacem, sed etiam inclinatur. Hoc, ni fallor, insinuavit et exprobravit Deus Salomoni, postquam in nobilem suum animum turpiter prostituisset mulierculis, III. Reg. XI. dicens : *Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum et præcepta mea, quæ mandavi tibi, dirumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo.* Quid est illud, quod habuit Salomon apud se? Indolem utique nobilem et propensionem ad honestatem ac virtutem ex sanguine regio in se transfusam : sicut ipse fate- tur, Sap. VIII. *Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam, et cum essem bonus, veni ad corpus incoquinatum,* hoc est, corpus accepi bene organizatum et aptatum ad capessendam sa- pientiam et virtutem, uti fere etiam nobiles ha- bent. Ergo tanto Dei dono male usus fuit, et regium ac nobilissimum animum servili vitio contaminavit, et servire peccatis, quam imperare maluit ; jure merito regnum ei ablatum, et servo ejus datum fuit. Atque hoc est, quod ipsi expro- brat Spiritus sanctus per Ecclesiasticum, c. XLVII. *Dedisti maculam in gloria tua, et profanasti semen tuum, etc.*

Videant jam, qui debeant Deo, qui his donis ditati sunt. Scimus quid voverit Deo Jacob, Gen. XXVIII. *Si fuerit Deus mecum et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, reversus- que fuero prospere in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum* (hoc est, peculiari religione et devotione singulari eum colam) *et lapis iste voca- bitur domus Dei,* (hoc est, erigam illum in locum sacrum) *cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Quid ad hoc divites et nobiles? Cum enim longe plura dona acceperint a Deo, quam victum et amictum, quid ipsi Deo debe- bunt? Uter servus plus debet domino suo, qui equo aut curru domini sui iter facit, an qui pedi- bus suis? Ipsi in curribus et equis sedent, pau- peres et ignobiles humi in luto incedunt. Quis- quis ergo hæc aut hujusmodi dona ex divina libe- ralitate, paucis aliis concessa, accepisse se memi- nit, nomen Matthiæ pectori suo imprimat, et co- gitet se Deo ob peculiare bonum peculiari titulo esse obligatum, ut sit ei *Dominus in Deum,* quem cultu singulari et majoribus obsequiis, quam alii, colere, amare et benedicere debeat. Sic fiet, ut nomen ipsi æque ac Carolo V. multam felicitatem afferat in hoc et illo sæculo.

CONCIO IV.

INDURATI QUA RATIONE FRANGENDI.

I. Cogitent cum quanto et quam potenti Domino pug- nent. — II. Cum quanto benefactore et quam amante patre. — III. Quanto pretio a Christo redempti sint.

THEMA.

Cecidit sors super Matthiam. Actor. I.

Eo nunc tempore sumus, quo non solum a ra- diis solis tepidisque pluviis, sed etiam dolabris et ligonibus frangi solet glacies. Sed quidquid sit de hac glacie, certe eo temporis etiam nunc deve- nimus, quo debet frangi glacies mystica, cor sci- licet induratum. Ingredimur enim tempus pœni- tentiæ et remissionis, quo Ecclesia quotidie nobis occinit id Joelis II. *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra ; tempus quoque passionis Domi- ni, quo non solum homines omnes, qui ade- rant ad spectaculum Christi crucifixi : Percutientes pectora sua revertebantur ; sed etiam irracionales creaturæ contractæ, petræ scissæ, velum discis- sum, monumenta dirupta sunt.* Tempus igitur est, ut qui duram cordis glaciem alicujus vel complurium inveteratorum peccatorum in se senti- unt, frangere incipiant. Sed quis franget istam glaciem? *Percussisti eos et non doluerunt,* ait Jere- mias, capite V. *induraverunt facies suas supra pe- tram.* Verum est, difficile frangitur induratus. Attamen desperandum non est. *Matthias* franget, hoc est, *Donum Dei* magnum! Hic enim est, qui missus in Judæam, ad obstinatos scilicet Judæos convertendos, multos duræ licet cervicis doctrina, exemplo, miraculis convertit. Hoc vero donum qui obtinendum? *Hoc opus, hic labor :* tamen videamus.

I. Cogita, mi homo, tria hæc. Primum, cum quanto et quam potenti Domino pugnes. Glacies frangitur ferro, utpote adhuc fortiore : quis au- tem fortius Deo? Itane tu audes te opponere Deo? Nescis Dei potentiam et tuam impotentiam? Tu- ne fortior Pharaone? Et quid effecit ipse? *Descen- dit in profundum quasi lapis.* Tunc potentior Nabu- chodonosore? Et quid ipse, Deo se opponens? *Ejectus in silvas, fœnum quasi bos comedit.* An nescis dura omnia, quæ resistunt fulmini, frangi et comminui? Mollia, quæ ei cedunt, salva et in- tacta relinqui? Audi quid ad Job dicat Deus capite XL. *Accinge sicut vir lumbos tuos,* quasi dicat : *Arma te ad resistendum mihi, si potes. Numquid irritum facies iudicium meum, et condemnabis me ut tu justificeris? Et si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas?* Quasi dicat : Tunc fulmi- nabis contra Deum sicut ille contra te? Tu eo

fortius brachium habes? De rege Æthiopum Ma- croborum Herodotus, libro III. sequens factum enarrat. Hic cum inaudisset Cambysem Persarum regem exploratores ad se misisse, et animo des- tinasse ut castra contra ipsum moveret, arcum arripuit, et coram illius exploratibus ad aurem usque trahere curavit, eumque Cambysi dono misit, et nuntiari jussit : *Si Persæ eum intendere possent, tum demum contra Æthiopes, bellum moverent.* Cambyses, accepto arcu, cum robur regis audisset, nec vel ad duos digitos arcum ad- ducere posset, intellecta regis illius fortitudine, ab ejus oppugnatione animum avocavit. Vide igitur tu quisquis es obstinate, an simile brachium ha- beas, quale habet Deus, qui : *Arcum suum teten- dit,* Psalmo VII. *et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Quis tam remota mentis erit, ut tantæ se potentiæ au- deat opponere? De talibus ergo merito queritur Deus, Zachariæ VII. *Cor suum posuerunt ut adaman- tem, ne audirent legem et verba.* Sed norint isti adamantem adamante frangi, duriore scilicet alio : atqui tali Deum armatum audimus ex Amos, c. VII. *Ecce Dominus stans super murum litum, et in manu ejus trulla cementarii,* Septuaginta ver- tunt : *Ecce Dominus super murum adamantinum, et in manu ejus adamas,* quasi dicat : Ero adaman- tinis hominibus adamas durior longe et fortior, eosque confringam et conteram, ut explicat ibi Cornelius. Quod faciet, quando, eis exclusis cum fatuis virginibus et fores pulsantibus, dicet : *Nescio vos.* Id quod ethnici etiam modo aliquo nove- runt. Ovidius, l. IV. metamorphoseos ait, inferni portas clausas *adamante :* Virgilius, VI. *Æn. por- cis adamantinis :* Statius, libro VII. regias Martis obserat *adamante.* Juste nimirum, quia ipsi pul- santi Deo non apparuerunt.

II. Cogita cum quanto benefactore et quam amante patre pugnes. Glacies frangitur solis ra- diis : hi sunt Dei beneficia, quibus etiam rebelles suos et obstinatos servos in dies prosequitur. Nonne solem suum quotidie oriri facit tam su- per malos et refractarios, quam super bonos et morigeros? Nonne eos alit, vestit, fovet, recreat, sanat, conservat? Fierine igitur potest, ut cor durum non expugnetur tot continuis beneficiis? Sane IV. Regum VI. legimus latrones seu præ- dones Syriæ maximo numero, cum quærent Elisæum vi armata abducendum, cæcitate per- cussos, perductos fuisse ab Elisæo in medium civitatis Samariæ, ita ut omnes, quasi aviculæ cavæ inclusæ, mactari statim usque ad unum possent. Idque jam parabat rex Samariæ ; verum hortatu Elisæi jussus est eos potius prandio ex- cipere et incolumes dimittere. Quo facto non re-